

FK 131

7

X 1876143

II k
33

*De ratione Docendi Juris
textuali*

Q. D. B. V.

VOTO

JCTORUM LIPSIENSIIUM

INSTITUENDAM

VENTILATIONEM

DISSERTATIONUM
JURIS

SUTHOLTIANARUM

PUBLICAM

CORONÆ LL. STUDIOSE

HIS TABULIS

COMMENDATUM
IT

JOHANNES HENRICUS BER-
GERUS, J.U.D. & Consistorialis.

LIPSIÆ,
Literis JOHANN. GEORGI



a a a.



Ferdinando





Ratio docendi Juris autore ipfomet Cæfare

(a) duplex constituitur, *Elementaris* una & *Exoterica*, *Plenior* altera ac *Acroamatica*, (b) vocabulis è *Philosophiâ Italicâ* cognitis, illam alibi tantisper tetigi. Hæc vicissim dispescitur in *Systematicam* ac *Textualem*. Illâ sistuntur *Systemata* & tractatus, hæc ipsi textus, quæ uti difficilius est & si tempus spectes, prior alterâ, ita & ordine doctrinæ posterior, tametsi utramque conjungi forte expedit. (c) Sed & de *Systematicâ* hîc dicere nil attinet. *Textualis*, cujus de invalescente contentu J. Gothofredum maximè & Taborem subinde quæri videas, duæ potissimum sunt inspectiones, unâ est expressio sensûs *Grammatici*, altera *Rationis* annotatio. Et *Sensum* quidem *Literalem* non ex simplicis *Artis Grammaticæ* præceptis, sed è *Grammaticâ Juris* arcessi oportet, cujusmodi conscripsisse *Ælius Gallus* teste *Servio*, *Modestus*, item *Rigaltius* & *Brissolinus* laudantur; Scilicet ut verborum *Juris* proprias variasque notationes seriâ observatione non ridiculâ anxîave, sed *Judiciosâ* sed virili discernas; Ubi eò felicius incedes, si jungas tum *Historiam* *Statuum* *Reip.* tum *Arcanum* illud eruendi proprietatem sedis ex *inscriptione* *LL. π.* quod probè post *Cujacium*, *Duarenum*, *Augustinû*, *Labittum* paucosque alios calluit laudatus *Gothofredus*, (d) tum denique *π.* quæcunque tandem sit, *Methodum*, ad quam novissima extat *Consummatissimi* *Lynckeri*, *Patroni* nostri, cura. *Rationem* *Juris* vel ex ipsâ *Lege* vel aliunde, ex *LL.* inquam, parallelis & ipsismet *Juris* nec non *Philosophiæ* *Moralis* principiis ac fundamentis inconcusis peti necesse est. Est certè *Jus* *Nostrium* *π.* præsertim *Rationibus* fertilissimum quæis indagandis applicandisque exquisito *judicio ἀναλυτικῷ* opus. Neque enim existimandi sunt *Nostri* quicquam absque præviâ summâ animi meditatione scripsisse. *Accuratam* (nisi nimiam) hæc in parte operam suscepit *A. Faber*, sed per fata prohibitus non absolvit. Talem *Methodum* adhibuit quoad *Codicem* *Regnerus* in *Censurâ* *Belgicâ*, quam vocat, & ipse jam *censuram* passus; *Manzius* quoque tale quid congeffit. *Modus* superest, ad quem *Acroasis* illa *textualis* dirigi debeat. Et si rem penitus expendas, fateri oportet, *paraphrasticam* *Interpretationem* quâ *LL. κατὰ πρόβα* recensentur, optimam omnium videri, eamque non coactam, nec longius accersitam, quam egregiè descripsit *Schefferus*. (e) Hoc interpretandi genere multum debuit *Heinsio* *Politica* *Aristotelis*, *Freinshemio* *C. Tacitus*, *Aristotelis* *Organon* *Monlorio*, tit. *Cod. de R. C. J. Pacio*; Idemque in *Jure* tentârunt veteres *Glossographi*, at sine *methodo*, nec satis *Grammaticè*, tentavit & sub initium seculi nostri *D. Gothofredus*; Sed nec in eo deest, quod desideres. (f) Laudari hîc fas est *Specimen* perpetuæ in duos vasti operis *Libros* *Paraphrasis*, quod haud ita pridem *luci publicæ* exposuit *Feltmannus*, quodque vel ab eodem vel ab aliis, quæis par est ingenii dexteritas, pertexi *Rei Juridicæ* oppidò interest. Sed nec eâ *Commentationis* specie in *Exercit. ad π.* abstinuit *Schilterus*. Et uti è cujusvis *Jura* tractandi generis, ita maximè ex hujus, quod modò commenâvi, re sunt præsidia nonnulla; Videlicet primùm *Edicti Perpetui* *instauratio*, deinde *Collectio* *Scriptorum ac Fragmentorum*, quæ à veteribus *Juris* orta restant, tertio *Constitutionum* *Imperatoriarum* ad temporum seriem disposita *digestio*, *Antiquitatum* *Romanarum* denique per *Universum* *Jus* *sparfarum* *coactio* juxta ac *illustratio*, omnia tamen non ad eum duntaxat modum, quo curis virorum *Cl. Ranchini*, *Labitti*, *Augustini*, *Freymonii* jam exarata extant, sed iis legibus, quas alicubi (g) expressit *Curiosissimus* *J. Gothofredus*, collocanda. Cujus quidem *commatis* *Analyfin* i. *ἰσαφρατικὴν* & hisce *λαβῶν* ac *adminiculis* munitam si sperare liceat, tantò magis *LL. nostris* gratulemur, quantum major illis inde omni obice remoto accessura lux sit. Certè nec tot *Antinomiarum*, nec tot circa earum conciliationem ortæ *dissensiones* alerentur. Sed nec tam crebræ, tam odiosæ porro dicæ *Juri* *Justiniano* scriberentur & *Tribo-*

(a) § 1. J. d. 7. § 7. Conf. Cic. & Quintil. apud Vinn. *ibid.* (b) Schilter. *Præx. Art. Analyt. in Jur. part. 2. §. 3.* (c) v. Schilt. *d. part. 2. §. 20.* (d) Exercuitq; in *Comm. ad tit. d. R. 7.* (e) *Gymnas. styl. p. 77.* quem vide. (f) Desiderare possis casuum formationem, *Juris* *Rationem* nonnunquam supplendam, *Resolutionem* *ἐναντιοφρανῶν* & alia nonnulla prætermissa. (g) *Epist. Opuscul. var. præfix.*

boniano, qui jamdudum *σπεψοδικον πδνσργ*, ut pleraque ejus crimina verbo exprimam, audit. Nunc, cum eâ destituamur, fit, ut difficilius pugna LL. reperiatur, quam solutio antinomiae, ut cum ex aliis Conciliatoribus, tum maximè è Nicolao de Passeribus vel viginti diversi modi uni antinomiae conciliandæ adhibeantur, quorum tamen (cum veritas una sit) parte maximâ ceu falsâ alia certa Juris capita subverti, quin & Lectorem incertum magis reddi, quam fuit ante, necesse est, ut porro tot Conjecturæ, Emendationes, Inscriptiones, variæ Lectiones & nescio quæ Commentatiunculæ coacerventur, quæ istextus miserè torqueri, corrumpi, dilacerari cernas, ut denique toties Tribonianus, ipse etiam Justinianus impudenti ausu vapulet, cum alterum tamen rei difficultas, alterum jussi sinceritas facile excuset. Abrumpo. Viam hæc ostendisse mihi sat est. Alii, quibus magis est & ingenii & otii, vel illâ meliorem pandant, vel offensam re ipsâ terant. Unius five ævi five viri id, quicquid est, esse vix crediderim. Ante verò quam rem ipsam aperiam, *Argumentum* Analysis Logicæ dare lubet unum, idque si non sui tenore, certè Autoris, cui Meiscum operaturum memet infra intelliges, nomine satis accommodum; Videl. ex L. 1. §. 16. *de conjung. cum emancip. lib.* Cujus species hæc: Duo sunt filii, unus in potestate, alter emancipatus & ex tertio jam mortuo duo nepotes, unus in potestate, alter emancipatus. Filius emancipatus petit contra tabb. Conferet igitur fratri & nepoti, utriusque in potestate existenti, quia singulis aufert. At quid de nepote emancipato? Si literam sequimur, & illi dicemus conferri. Sed obstat, quòd emancipatus emancipato non conferat (θ) Hinc variæ sententiæ: Cujacius (ι) emendat textum, emendat & Charondas, alter aliter altero. (κ) Meierus (λ) hîc vel Enallagen numeri esse, vel significari verbo: *nepotibus* gradum, non personarum numerum ingerit. Alii aliter Wissenbachio (μ) allegati. Omnes perperam. Ut enim ab omni nævo Jus nostrum non vindicem, nec adtuendam Juris Analogiam Divinationi, quam vocant, quandoque locum denegem, hætenus tamen nec correctione, nec coactâ explicatione opus; Suppetit interpretatio simplex, eaque cum veteribus tum Recentioribus (ν) probata: Nimirum conferri emancipato *per accidens* propter personam nepotis in potestate retenti, quicum dum ille etiam unius instar habetur & concurrere confert, fit, ut collatione à patruo emancipato factâ per consequentiam fruatur. (ξ) Nec est, quòd Meierus objiciat, eam Juris principiis non congruere; Nam hæc ad Regulam pertinent, salvâ utique, quam aliunde probare sategi, exceptione. Aut an in verbis Scævola *περθεσιν* non *δοροδοσιν* agnoscamus, ita ut, cum quæstio habeat de quanto Collationis, & illi subdita responsio quantum acquisitionis ex hereditate patris deterrinet, dicamus, illam tacitè ac indirectè decidi, scil. filium emancipatum tantum de suis collaturum, quantum ex hac sit acquisiturus (sc. trientem) tantum, inquam (quod quæsitum fuerat) non iisdem omnibus, quibuscum concurrat, non sc. nepoti emancipato? Aut an verbum Collationis æquè in propositione ac in Redditione ad hereditatem referemus, ut quæstioni directè consonet decisio? Ex his tametsi utraque, illa præsertim, non improbabilis videtur, neutram tamen vehementer urserim, cum suprâ data Analogiæ Juris satis conveniat. Sed nec sic omnis circa d. l. 1. §. 16. difficultas expedita est; Nova enim ex *verbis ejusd. fin.* exsurgit, sc. quomodo cum utroque, adeoque & emancipato Nepote Pater concurrere minuat Nepotum ratam. Inde iterum anxie laborari animadvertas. Accursias *minus* interpretatur de nihilo. Sverinus supponit Patrem emancipatum. Hotomannus & Gothofredus emendant, nec uterque tamen eodem prorsus modo. Accursii explicatio à sententiâ Jcti aliena est. Sverinus, utcunque quod supposuit, obtineat, nil efficit; Quandoquidem in potestate quidem retentum, non item emancipatum cum Patre emancipato conjungi certi juris est. Nec est, quòd violentis istis, quæ & omnium exemplarium fide destituuntur, emendationibus indulgeas.

Quid

(θ) L. 9. C. d. Collat. (ι) 3. O. 29. (κ) Cujus notam & Baudoza in *Corpore J. Civ. glossato* glossæ adjecit. (λ) C. J. A. 37. tit. 6. §. 5. (μ) D. π. 12. §. 4. (ν) Inter Veteres post Bartol. sunt Hotom. 9. O. 8. Sverin. 1. Rep. Lect. 46. è Recentioribus Bach. ad Tr. v. 2. D. 17. §. 3. c. Vinn. d. Collat. c. 4. Strauch. Diff. 11. aph. 42. (ξ) Fac. L. 2. §. 7. d. Excus. tut. it. l. 7. de Collat. Neque eam infrequentem Juris disciplinam esse LL. adductis evincit Wissenbachius d. l.

Quid ergo dicemus? Si Bachovium (o) sequamur, quod ad explicationem illius
 loci in medium conferamus, non habebimus. Hæret, inquam, hic JCtus ἀναλυτι-
 κώτατ. Postmodò tamen admonitus ab Erudito Juvene alibi (π) JCtum, ait,
 in d. l. respexisse ad L. 3. §. f. de Collat. ex quo casum poni oporteat. Ecquis verò est
 Juvenis ille eruditus? Est Wissenbachio conjectante Bernhardus Sutholt (ρ) vitio ma-
 gni nominis JCtorum, Befoldi, Manzii, Bachovii ipsius factus Catholico-Romanus.
 (σ) Contrà hîc Wissenbachius, qui Hotomanni hætenus sequax & falsitatis & absur-
 ditatis monitum hocce redarguit; Quid enim species d. §. cum casu d. l. 3. commune
 habeat, quærit. At cur ita quærat, non addit. Causas auguror duas esse, unam, quòd
 in d. l. 3. duo Nepotes in potestate Avi supponantur, retentus alter, alter emancipatus,
 cum in d. §. unus existens, alter emancipatus sistatur, alteram, quòd illinc tertio Nepotì
 adoptato, tertio Nepoti alteri & cum eo concurrenti Patri applicetur. Qui itaque mi-
 nus quàm Patruus capere dici possit vel adoptatus, qui solus tantundem accipiat, quàm
 ille & plus, quàm Nepos alter in specie §. nr. vel alter retentus, qui cum patre concur-
 rente tantum acquirat, quantum patruus, quantumq; nepotum uterque in d. §. Quid
 dixerit hîc Monitor discipulus? quid Monitus Præceptor? Sanè, utcunqve sedulo
 cogitemus, fatendum, nil solidi succurrere, quòd monitum à notâ vindicare possit.
 Si liceat tamen in re conclamata tantisper luxuriari, malim dicere, in d. §. sine nepo-
 tes intelligi utrosque in potestate; Cum enim casus concurrente patre mutetur, quid
 impedit & nepotes aliter & habiles supponi? Quò & tendit Charondæ lectio, supra
 ut in verb. in it. reprobata. Patere, quisquis eam legis, conjecturam, donec illâ me-
 liorem vel tu suppedites vel reddam ipse. Cæteroquin latius excurrere chartæ vetat
 modulus. Sufficiet hîc mihi ab absolutissimæ eruditionis JCto, Bachovio, inquam,
 Sutholtum etiamnum Juvenem ab Eruditione & tali, quâ in re maximè dubiâ sibi ille satis-
 factum putet, commendari, ex quo Ejusdem *Dissertationes Juris XIX.* cum annexo tra-
 ctatu d. *Jurisd.* è censu Themidi Philurææ litantium undecim Egregii:

Dn. Dietericus à Miltitz / Eqves Misnicus. XVI.

Dn. Johannes Seyffarth / Martisburgensis. VII.

Dn. Martinus Fridericus Muesorge / Dresdensis. IIX. XIV.

Dn. Gothofredus Christianus Bose / Lips. I. & tr. de Jurisd.

Dn. Johannes Christianus Kummel / Martisb. VI. XI.

Dn. Wolfgangus Henricus Dreuer / Lipsiensis. II. XV.

Dn. Christianus Benjamin Balthier / Pegaviens. XIII. XIX.

Dn. Gothofredus Homel / Weissenfelsensis. IV. XVII.

Dn. Gabriel Blümichen / Dresdensis. V. XIIX.

Dn. Johannes Christianus Süniger / Misenenensis. III. X.

Dn. Johannes Güntherus Probst / Quedlinburg. IX. XII.

Deo propitio me præside vicibus XX. publicè ventilandas sistere induxerunt; Optimo
 utique instituto, sive Librum respicias, sive Rem ipsam. Liber Autoris commenda-
 tissimi, uti & dexteritate rerum & ordine tractandi & sermonis nitore cuivis se eximiè
 conspicuum exhibet, ita in Academiis passim & prælegendo & disputando identidem
 teritur & jam virorum Clarissimorum notas meruit. Rem non est, quòd multis effera-
 mus; Facit ea ad firmandam memoriam, ad acuendum iudicium, ad excitandam παρ-
 ρήσιον, quibus omnibus carere nequit JCtus; Facit & ad exercendam textuum Ana-
 lysin ante laudatam. Adeò se ipsam in πεπαιδευμένους, inquam, ostentat. Superest, ut
 Vos, quotquot LL. Prudentiæ dedistis nomen, amicissimè compellem. Adeste, O MEI,
 frequentes, adeste & præsentì constantiq; favore eò alacriores nosmet reddite. Efficie-
 tis certè, ut etiam non urgente Lege antidorali Vobis nunquam non futuri simus præ-
 sentissimi. P. P. Lipsiæ d. XII. Octobr. M DC LXXXIV.

(o) ad Tr. d. v. 2. D. 17. §. 3. c. (π) in Addit. ad d. l. (ρ) ipse Præceptorem Bachovium fassus *Diss. 2. A.*
 21. (σ) Ceu ex futili causæ coniectione Colonia editâ liquet.

FK131
7

X 1876143

II K
33

*De ratione Docendi Juris
textuali*

Q. D. B. V.

JCTORUM
INS
VEN
DISSER
SUTHO
CORON
HI
C
JOHANNES
GERUS,
US BER-
rialis.



Literi

PONICKAVIANI
a a a.



Ferdinando

